



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LVIII. Henricvs I. XXXVII. Arch. XXI. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

ret. Brovverus nunc compendiō comprehendens, nunc fusius describens D. Engelberti dotes egregias pag. 118. paucis vocalibus dixit rem maximam, dum inquit: *addunt de Engelberto, columnam Ecclesiae, Cleri decus, columnen extitisse regni.* Tantum tamen ac tale columen Fridericus Comes Isenburgicus ob Essendiensis monasterii jura ab Electore hoc ritè defensa & custodita, 47. vulneribus è medio sustulit an. 1225. Sedis 9. Hanc à multis seculis vix auditam necem mox secuta omnium, præsertim in Germania inferiori Statuum admiratio, & indignatio justissima querebatur Christianum orbem implevit, præsertim verò cùm volantib[us] famæ accederent passim miracula multa legitimis testimoniis confirmata. *Lege Bovveri Annales Trevirens. & Gelenii Historiam de S. Engelberto editam.*

### LVIII. HENRICVS I. XXXVII. ARCH. XXI. ELECTOR.

**H**Enricus Comes de Molenarck primas inter curas numeravit illam omnium maximam, qua vindictam de Comite Isenburgico, & scelerum consciis severissimam sumere constituit: quare sceleris tanti authoris bona fisco quamprimum sunt adjudicata: conjux ejusdem tametsi criminis minime particeps, mœrore contabuit. Fridericus Comes conscientiæ stimulis instar Caini agitatus aliquantis per vagus & profugus, denique Leodii interceptus, & impensis haud modicis Coloniam traductus infamique rotæ implexus, mirâ pœnitentiâ pœnas absolvit gravissimas. Audiamus Bovveri hac super re compendium, quod ita habet pag. 124. *Fxtra D Severini portam Comes horrendo atque infami supplicio in rotam actus, dorsum interritus ad sedecim præbuit securis ictus; inde tortoris manum ad singula comminuenda frangendaque corporis membra ultrò exposcens, admirandæ fortitudinis ac constantiæ in perpetiendis suppliciis exemplio, omnibus Christiani hominis probè in morte perfunctus officiis, tam tetram in se receptam labem, magnitudine cruciatuum eluit, vel obscuravit.* Cæterum Henricus Elector vindicata D. Engelberti morte, opportuna occasio-

ne

ne utendum ratus, cum Coloniæ civibus ad lites pronissimis res magni momenti varias discussit atque composuit. Sedit ab an. 1225. usque ad an. 1237. turbatissimis in Imperio temporibus.

LIX. CONRADVS. XXXVIII. ARCH.  
XXII. ELECTOR.

**C**onradus Comes de Höchsteden per annos 24. difficultates tulit & ærumnas maximas; à Wilhelmo quippe Julianensi Comite captus, novem mensibus in durissima captivitate delituit. Annos ætatis suæ ultimos potissimum consecravit ingentis operis & pretii templo, Divorum Magorum honoribus consecrato. Suorum temporum Salomonem dixerunt multi Conradum: Salomonis tamen opera aut facinora posteritati legenda non ritè scripserunt, si ædem excelsam demas, de qua Poeta ita canit:

Conradus summi struxit fastigia templi,  
Atque Ubia Salomon alter in urbe fuit.

Morti sucubuit an. 1261.

LX. ENGELBERTVS II. XXXIX.  
XXIII. ELECTOR.

**E**ngelbertus Comes de Valckenburg circa annum 1260. Imperio Romano inter seditiones & cædes publicas lugente, luxit & ipse fortem suam tristissimam, cum Coloniæ cives urbem patriam in libertatem plenissimam asserturi tentarunt extrema omnia, Bonnæ interea violenta remedia meditante Engelberto, Stratagemate & cuniculis Coloniæ expugnationem tentandam esse, unâ cum Electore rati non pauci, sibi tumulum struxerunt, dum concubia nocte per occultos terræ meatus ingressi, sed simul à fœdifrago socio proditi, ad unum omnes sunt enecti, ipso Electoris fratre desiderato. Amicis igitur consiliis,

Y 3

non